UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi, Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m] patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. xiiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Visual Library

De eadem re. Caput XIIII.

Ex decr. Adriani papæ, ca. 4.

CAueant iudices Eccleſiæ, ne abſente eo cuius cau- ventilatur ſententiam proferant: quia irrita erit, & cauſam in ſynodo pro facto dabunt.

Vt nemo ſimul ſit accuſator, iudex, & teſtis. Caput XV.

Ex epiſto. Alexand. papæ, ca. 7.

NEmo ſimul ſit accuſator, teſtis ac iudex, nullus pręſumat accuſator ſimul eſſe, & iudex, & teſtis, quoniam in omni loco iudicij quatuor perſonas neceſſe ſemper adeſſe, id eſt, iudices electos, & accuſatores, defenſores, & teſtes.

De falſo teſtimonio quòd capitale ſit crimen. Caput XVI.

Ex cõcil. Agathẽ. cap. 8.

NOuerint falſi teſtes, quòd ſi falſum teſtimonium capitale crimen non eſſet, nequaquã dominus in Euangelio inter principalia crimina hoc annumeraſſet. Ait enim: De corde exeunt homicidia, adulteria, furta, falſa teſtimonia. Et ideo ſimiliter debet pœnitere, & excommunicari falſus teſtis, ſicut adulter, & fur, & homicida.

Vt falſi teſtes à communione niſi pœnituerint ſint ſubmouendi. Caput XVII.

Ex cõcil. Aureliã. cap. 5.

FAlſos teſtes à communione eccleſiaſtica ſubmouendos, niſi pœnitentiæ ſatisfactione crimina admiſſa diluerint.

Vt falſus teſtis prout crimen eſt quod oppoſuit puniatur. Caput XVIII.

Ex cõcil. Elibertã. cap. 10.

FAlſus teſtis prout crimen eſt abſtinebitur. Si tamen nõ fuerit mortis quod obiecit, & probauerit quod tacuit, biennij tempore abſtinebitur. Si autem non probauerit in conuentu clericorum, placuit per quinquennium abſtineri.

De ingenuis, ſi in ſynodo accuſantur. Cap. XIX.

Ex cõcil. Triburi. cap. 10.

NObilis homo vel ingenuus, ſi in ſynodo accuſatus negauerit: ſi eum fidelem eſſe ſciunt, cum duodecim ingenuis ſe expurget. Si anteà deprehenſus fuerit in furto, aut periurio, aut falſo teſtimonio, ad iuramentum non admittatur, ſed ſicut qui ingenuus non eſt, feruenti aqua, vel candenti ferro ſe expurget.